B. N. C.
FIRENZE
1056
15

Digitized by Google

1056.15

Digitized by Google

10.5.6.
15


XXXIV
PROF.

Forma iuramenti profeſsionis fidei.

A Cathedralibus, & Superioribus Eccleſijs, vel beneficijs curam animarum habentibus, & locis Regularium, ac Militiarum præficiendis, obſeruanda.

EGo firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quę continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Eccleſia vtitur, videlicet Credo in vnum Deũ Patrem omnipotentem factorem Cœli, & Terræ, viſibilium omnium & inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei vnigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero Genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex MARIA Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. Et aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre Filioq; procedit. Qui cum Patre, & Filio, ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et vnam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum baptiſma in remiſsionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi. Amen. Apoſtolicas & Eccleſiaſticas traditiones, reliquasq; eiuſ-

dem Eccleſiæ obſeruationes, & conſtitutiones firmiſsimè admittò, & amplector. Item ſacram ſcripturam iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia cuius eſt iudicare de verò ſenſu, & interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admitto, nec eam vnquam, niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum, accipiam & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta nouæ legis à IESV CHRISTO Domino noſtro inſtituta, atq; ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaq; gratiam conferre: & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoq; & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omniū Sacramentorū ſolēni adminiſtratione recipio, & admitto.



Omnia & ſingula, quæ de peccato originali, & de Iuſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro viuis & defunctis: atq; in Sanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem, vnà cum anima, & diuinitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti, fieriq; conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini, in ſanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia Tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atq; integrum Chriſtum, verumq; Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatoriū eſſe, Animaſq; ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari: Similiter, &

San-

1056 15

Sanctos vnà cum Chriſto regnantes, venerandos atq; inuocandos eſſe, eosq; orationes Deo pro nobis offerre, atq; eorum Reliquias eſſe venerandas. Firmiſsime aſſero Imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atq; eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumq; vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam, Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco, Romanoq; Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac iuro. Cetera item omnia à ſacris Canonibus,& œcumenicis Concilijs, ac præcipuè à ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulq; contraria omnia, atq; hæreſes quaſcumq; ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem,extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſpontè profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam vſq; ad extremum vitæ ſpiritum,conſtantiſsime (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atq; à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem

ſpondeo, voueo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

1056.15
2.

SS 357353

1056 15

Digitized by Google